

sono, & alijs quæ suis æstimabuntur locis. Nam mihi contuenti se persuasit rerum natura, nihil incredibile existimare de ea. Nec uideo cur magis possint non trahere animam talia, & uiuere, quàm spirare sine uisceribus: quod etiam in marinis docuimus, quamuis arcente spiritum densitate, & altitudine humoris. Volare quidem aliqua, & animatu carere in ipso spiritu uiuentia, habere sensum uictus, generationis, operis, atque etiam de futuro curam: & quamuis non sint membra, quæ uelut carina sensus inuehant, esse tamen his auditum, olfactum, gustatum, eximia præterea naturæ dona, solertiam, animum, artem, quis facile crediderit? Sanguinem non esse his fateor, sicut ne terrestribus quidem cunctis, uerum simile quiddam. Ut sepia in mari sanguinis uicem atramentum obtinet, purpurarum generi insector ille succus: sic & insectis quisquis est uitalis humor, hic erit & sanguis, donec existimatio sua cuique sit. Nobis propositum est, naturas rerum manifestas indicare, non causas iudicare dubias.

De corpore eorum.

CAP. IIII.

Insecta, ut intelligi possit, non uidentur neruos habere, nec ossa, nec spinas, nec cartilaginem, nec pinguis, nec carnes, ne crustam quidem fragilem, ut quædam marina, nec quæ iure dicatur cutis: sed media cuiusdam inter omnia hæc natura corpus, arenti simile, neruo mollius, in reliquis partibus siccius uerius quàm durius. Et hoc solum his est, nec præterea aliud. Nihil intus, nisi admodum paucis intestinum implicatum. Itaque diuisis præcipua uiuacitas, & partium singularum palpitatio. Quia quæcunque est ratio uitalis, illa non certis inest membris, sed toto in corpore, minime tamen capite: solumque non mouetur, nisi cum pectore auulsum. In nullo genere plures sunt pedes. Ex quibus ex his plurimi, diutius uiuunt diuisa, ut in scolopendris uidemus. Habent autem oculos: præterque è sensibus tactum atque gustatum, aliqua & odoratum, pauca & auditum.

De apibus.

CAP. V.

Sed inter omnia ea principatus apibus, & iure præcipua admiratio, solis ex eo genere hominum causa genitis. Mella contrahunt, succumque dulcissimum atque subtilissimum, ac saluberrimum. Fauos confingunt et ceras. Illæ ad usus uitæ laborem tolerant, opera conficiunt, Rempublicam habent, consilia priuatim ad duces gregatim: & quod maxime mirum sit, mores habent. Præterea cum sint neque mansueti generis, neque feri, tamen tanta est natura rerum, ut prope ex umbra minimi animalis, incomparabile effecerit quiddam. Quos efficacia industriæque tantæ comparemus neruos? quas uires? quos ratione mediis fidius uiros? hoc certe præstantioribus, quo nihil nouere nisi commune. Non sit de anima quæstio, constet & de sanguine, quantulum tamen esse in tantulis potest. Æstimemus postea ingenium.

*ceras, mille ad usus uitæ. Laborum

Qui ordo naturæ in eis.

CAP. VI.

Hæc uesque, & aquilonum flatus perferendos uires? Sanè & insecta omnia, sed minus diu, quæ parietibus nostris occultata mature tepescunt. Circa apes aut temporum locorumque ratio mutata est, aut errauerunt priores. Conduntur à Vergiliarum occasu, sed latent ultra exortum: adeo non ad ueris initium, ut dixere, nec ut quisquæ in Italia de alueis existimat. Ante fabas florentes non exeunt ad opera & labores, nullusque cum per calum licuit, ocio perit dies. Primum fauos construunt, ceram fingunt, hoc est, domos cellasque faciunt. Deinde sobolem, postea mella, ceram ex floribus, melliginem è lacrymis arborum quæ glutinum pariunt, salicis, ulmi, harūdinis, succo, gummi, resina. His primum alueum ipsum intus totum, ut quodam tectorio illinunt, & alijs amarioribus succis contra aliarum bestiolarum auuiditates: id se facturæ conscia, quod concupisci possit. His deinde foras quoque latiores circumstruunt.

De uocabulis operis.

CAP. VII.

Prima fundamenta comosin uocant periti, secunda pissoceron, tertia propolis, inter coria cerasque, magni ad medicamina usus. Comosis crusta est prima, saporis amari. Pissoceros super eam uenit, picantium modo ceu diluitor, cera initium plerunque è mitiore gummi. Propolis crassioris iam materiam additis floribus, nondum tamen cera, sed fauorum stabilimentum, qua omnes frigoris aut iniuriæ aditus obstruuntur, odore & ipsa etiamnum graui, ut qua plerique pro galbano utantur. Præter hæc conuehitur erithace, quam aliqui sandaracam, alij cerinthum uocant. Hic erit apum dum operantur cibus, qui sæpe inuenitur in fauorum inanitatibus sepositus, & ipse amari saporis. Gignitur autem rore uerno, & arborum succo, gummi modo, africis minor, austri flatu nigrior, aquilonibus melior & rubens, plurimus in Græcis nucibus. Menecrates florem esse dicit, futuræ messis indicium, sed nemo præter eum.

Ex quibus floribus opera fiant.

CAP. VIII.

Ceras ex omnium arborum satorumque floribus confingunt, excepta rumice et chenopode. Herbarum hæc genera. Falso excipitur & spartum, quippe cum in Hispania multa in spartarijs mella herbam eam sapiant. Falso & oleas excipi arbitror, quippe oliuæ prouentu plurima examina gigni certum est. Fructibus nullis nocetur. Mortuis ne floribus quidem, non modo corporibus, insidunt. Operantur intra sexaginta passus. Et subinde consumptis in proximo floribus, speculatores ad pabula ulteriora mittunt. Notu est deprehensa in expeditione, excubant supina, ut alas à rore protegant.

De amatoribus earum.

CAP. IX.

Ne quis miretur amore earum daptos, Aristomachum Solensem duodesexaginta annis nihil aliud egisse: Philiscum uero Thasium in desertis apes colentem